

1341. Septbr. 17. Plön.

Graf Johann von Holstein bestätigt mit dem Rechte des Wiederkaufs den Verkauf der Aalfischerei bei Dahme durch Nikolaus von Brockdorff und dessen Sohn an das Kapitel zu Lübeck.

15 Abschrift im Großherz. Haus- und Centralarchiv zu Oldenburg (Reg. cap. II, Nr. 167).

Nos Iohannes Dei gratia comes Holtzatie et Stormarie universis presentia visuris vel audituris salutem in Domino sempiternam. Noverint universi, quod constituti in nostra presentia dominus Nicolaus de Brokdorp miles et Nicolaus eiusdem militis filius recognoverunt se teneri ex iusto debito capitulo ecclesie Lubicensis in triginta marcis monete Lubicensis ac pro eisdem vendiderunt et dimiserunt de consensu et beneplacito nostro nostrorumque heredum ipsi capitulo Lubensi trium marcarum redditus in nostra piscatura angwillarum sita prope villam Dame singulis annis per Hinricum Dameshovet in festo beati Martini<sup>1)</sup> persolvendos cum omni iure, prout eosdem redditus idem miles et filius suus a nobis iam pluribus annis iusto tytulo possederunt, ita tamen quod tam nobis et nostris successoribus quam domino Nicolao militi ac Nicolao eius filio predictis necnon Hinrico Dameshovet et ipsorum cuiilibet dictos trium marcarum redditus pro triginta marcis monete Lubicensis a predicto capitulo Lubensi reemendi facultas libera perpetuis temporibus remanebit. In cuius rei testimonium sigillum nostrum una cum sigillis prefati domini Nicolai et eius filii necnon Hinrici Dameshovet predictorum presentibus est appensum. Datum in castro nostro Plone anno Domini M<sup>o</sup> CCC<sup>o</sup> quadragesimo primo feria secunda post festum exaltationis sancte crucis.